CONCILIUM PLENARIUM BRASILIENSE

IN URBE
S. SEBASTIANI FLUMINIS JANUARII
ANNO DOMINI MDCCCCXXXIX
CELEBRATUM

SEBASTIANO S. R. E. CARD. LEME
DA SILVEIRA CINTRA
S. SEBASTIANI FLUMINIS JANUARII
ARCHIEPISCOPO
SUMMI PONTIFICIS PII PP. XII
LEGATO A LATERE
PRÆSIDE

84597

BIBLIOTECA DO SEMINARIO PROVINCIAL - B. HORIZONTE
(Caixa Postal, 417)

M

CAPUT VII

DE MATRIMONIO

(Can. 1012 — 1143 C. I. C.)

273.

§ 1. Si sponsalia ineantur, serventur in omnibus praecepta canonis 1017.

§ 2. Sponsalibus initis, parochus sponsos eorumque parentes admoneat ne matrimonii celebratio sine gravi causa diutius differatur.

§ 3. Caveant parentes et praesertim matresfamilias ne sponsi ante matrimonium nimium amoribus indulgeant, sponsosque sedulo vigilent.

274.

§ 1. Codici I. C. non est vis retroactiva quoad sponsalia contracta ante eius promulgationem, salva actione reparationis damnorum, de qua in canone 1017 § 3, si qua debeatur (1).

§ 2. Reparatio damnorum non suspendit matrimonii celebrationem (2).

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.
(2) Ibid.

275.

§ 1. Sponsos ignaros doctrinae christianae parochus sedulo edoceat prima saltem eiusdem rudimenta; quod si renuant, non sunt respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066 (1).

§ 2. Parochi, investigationibus ad matrimonium celebrandum iuxta canones 1020, 1021 et 1097 diligenter peractis, si nullum impedimentum appareat, publicas denunciationes faciant iuxta canones 1022, 1023 et 1024. Demum, ad norman can. 1031 § 3, si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochi, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittant.

§ 3. Tamen parochus, post investigationes et publicationes peractas, non potest statim matrimonio assistere; sed necesse est, a) ut antea omnia documenta necessaria receperit, ex. gr. litteras testimoniales de publicationibus in alia paroecia factis, vel rescriptum concessae dispensationis; b) praeterea, nisi causa rationabilis excuset, post tres dies ab ultima proclamatione, non antea, matrimonio assistat.

§ 4. Ad Ordinarium recurrendum est, antequam matrimonium ineatur:

1° Ad normam canonis 1023 § 2, si pars per sex menses alio in loco commorata sit post adeptam pubertatem (2);

2° Si banna sint dispensanda secundum praescriptum canonis 1028;

3° Si post parochi investigationem et banna peracta dubium de alicuius impedimenti exsistentia perseveret, iuxta canonem 1031 § 1 n. 3;

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.
(2) S. C. de Sacramentis, 4 iulii 1921; Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.

4° Si, ut in canone 1031, aliquod impedimentum certum detectum fuerit, firmo praescripto canonis 1045, § 3;

5° Si agatur de nupturiente vago aut de opifice emigrante, secundum canonem 1032 (1);

6° Si maneat conflictus inter nupturientes minores eorumque parentes, ad praescriptum canonis 1034;

7° Si agatur de iis qui notorie fidem catholicam abiecerunt etiam si ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis nomen dederint, ut in canone 1065 §§ 1 et 2.

276.

§ 1. Cum desit regularis attestatio status liberi et urgeat matrimonii celebratio, Ordinarius loci potest alias probationes praescribere, non excluso iuramento suppletorio ad normam canonis 1023 § 2 (2).

§ 2. Testes audiendi parocho noti et fide digni tum scientia tum probitate esse debent.

277.

§ 1. Publicationes matrimoniales, de quibus in canone 1024, ita fiant ut unus saltem dies ferialis inter unam et alteram intercedat, eaedemque fiant vulgari idiomate, clara et intelligibili voce, inter Missarum sollemnia aut inter alia divina officia, quibus populus frequentior intersit.

§ 2. Publicationes omittere vel reducere nequeunt parochi sine Ordinarii loci scripta licentia.

---

(1) S. C. de Sacramentis, 4 iulii 1921; Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.

(2) Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.

§ 3. In quavis paroecia habeatur liber publicationum, in quo adnotentur dies quibus ipsae sunt faciendae ac quibus absolutae fuerunt.

278.

§ 1. Ad normam canonis 1027 fideles sub gravi tenentur impedimenta matrimonialia, si qua norint, parocho vel loci Ordinario ante matrimonii celebrationem revelare.

§ 2. Methodus conficiendi arborem genealogicam, ut impedimenta eorumque gradus detegantur, prostat in *Appendice L.*

279.

In matrimoniis emigrantium, qui nondum domicilium aut quasi-domicilium acquisierint, servandae sunt normae statutae pro vagis, de quibus in canone 1032 (1).

280.

§ 1. Parochi et concionatores graviter prudenterque doceant fideles de sacramenti Matrimonii natura et sanctitate, in ipsorum mentem praesertim revocando matrimonium esse iure divino indissolubile.

§ 2. Eosdem praeterea moneant nefarium scelus esse divortium, ex quo et Ecclesiae et familiae et societati lugenda mala oriuntur.

§ 3. Ne omittant eos admonere turpem et exitialem concubitum esse quamlibet unionem catholicorum, inter se vel cum acatholicis, non praemissa celebratione matrimonii forma catholica ad normam canonis 1094, etiamsi actu sic dicto *civili* sint iuncti.

---

(1) S. C. de Sacramentis, 4 iulii 1921.

281.

§ 1. Ad praescriptum canonis 1033 parochi, concionatores et confessarii graviter ac prudenter sponsos moneant de obligationibus quibus tenentur, praesertim de fide coniugali servanda.

§ 2. Eos praeterea a foedis recentioris aevi turpitudinibus contra prolis generationem et a nefando crimine abortus deterreant, moneantque huius criminis reos, ad tramitem canonis 2350 § 1, excommunicationem incurrere Ordinario loci reservatam (1).

§ 3. Eosdem ad normam quoque canonis 1113 moneant de gravissima obligatione qua adstringuntur, christianam prolis educationem curandi eique bonum exemplum ubique praebendi in omnibus, praesertim in religiosis officiis publice et privatim diligenter adimplendis.

282.

§ 1. Parochi et concionatores moneant sponsos ut opportuno tempore ad sacramentum Matrimonii rite suscipiendum diligenter se praeparent, peracta confessione etiam generali, si res ferat, et Eucharistia pie recepta ad normam canonis 1033.

§ 2. Juxta canonem 1021 § 2, catholici, qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si possint sine gravi incommodo.

283.

§ 1. Nefas est parentibus iniuste filiorum nuptiis adversari vel eorum libertatem laedere tum quoad

(1) Litterae encyclicae Pii PP. XI *Casti connubii*, 31 decembris 1930; *Appendix LI*.

statum coniugalem amplectendum tum quoad personam coniugis sibi eligendam.

§ 2. Parochi omni studio nitantur ne nuptiae, invitis rationabiliter parentibus, non solo a filiis natu minoribus, de quibus in canone 1034, sed etiam a natu maioribus celebrentur.

§ 3. Iidem aliique sacerdotes in conciliandis nuptiis ne sese immisceant, nisi forte necessitas vel caritas id suadeat, maximis adhibitis cautelis.

284.

Habetur impedimentum publicum, de quo in canone 1037, si publicum est factum ex quo oritur impedimentum (1).

285.

§ 1. Ad normam canonum 1043 et 1044 dispensationes super impedimentis mixtae religionis vel disparitatis cultus numquam impertiendae sunt, sub poena nullitatis, nisi praestitis antea a nupturientibus cautionibus, quarum fidelis exsecutio praepediri nequeat etiam vi legum civilium (2).

§ 2. Cautiones fiant in scriptis ab utroque coniuge et, si fieri possit, subscriptae atque iuramento firmatae iuxta formulam in nostris Constitutionibus relatam ut prostat in *Appendice LII.*

§ 3. Ii qui spiritismi (3) vel communismi doctrinam profitentur matrimonium inire non possunt sine Ordinarii loci venia.

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 25 iunii 1932.
(2) S. C. S. Officii, 14 ianuarii 1932.
(3) Conc. Plen. Am. Lat., 164.

286.

§ 1. Codici I. C. non est vis retroactiva quoad matrimonia; haec proinde reguntur iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur (1).

§ 2. Matrimonia nulla, ob impedimenta a Codice I. C. abrogata, non fiunt valida per eiusdem promulgationem, sed indigent convalidatione vel, si casus ferat, sanatione (2).

§ 3. Cognatio spiritualis, ex Baptismo ante Codicem I. C. contracta, ultra terminos in eodem Codice definitos, desinit ipso facto esse impedimentum ad matrimonium (3).

287.

Ad effectum de quo in canonibus 1044 et 1045 § 3 Ordinarium loci adiri non posse censetur, si nonnisi per telegraphum vel telephonum adiri possit (4).

288.

Ad normam canonis 1045 § 1 impedimentum habetur tanquam *detectum cum iam omnia parata sunt ad nuptias,* quando, licet antea cognitum, tunc solum ad notitiam parochi vel Ordinarii loci est delatum (5).

289.

Facultas dispensandi pro casibus occultis, de quibus in canone 1045 § 3, intelligenda est non solum de impedimentis matrimonialibus natura sua et facto occultis, sed etiam natura sua publicis et facto occultis (6).

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 1 martii 1921.
(2) Ibid., 2-3 iunii 1918.
(3) Ibid., 2-3 iunii 1918.
(4) Ibid., 12 novembris 1922.
(5) Ibid., 1 martii 1921.
(6) Ibid., 28 decembris 1927.

290.

Quod attinet ad impedimenta matrimonialia dispensanda, praeter praescripta Codicis iuris canonici et propriae Curiae dioecesanae, prae oculis habeantur nostrae Constitutiones ut prostant in *Appendice L.*

291.

§ 1. Parochi, concionatores et confessarii, ad normam canonis 1060, a matrimonio cum acatholicis fideles omni ope removere satagant ob gravia pericula perversionis coniugi catholico et proli facile oritura (1).

§ 2. Arceant quoque fideles a matrimoniis contrahendis cum consanguineis praesertim in primo lineae collateralis gradu mixto cum secundo (2).

292.

Ad normam canonis 1076 § 3 matrimonium numquam permitti debet quoties dubitatur an nubenda, cuius nativitatem praecessit copula illicita et occulta, sit filia vel soror alterius partis (3).

293.

Ad normam canonis 1078 impedimentum publicae honestatis non oritur ex solo actu civili matrimonii, independenter a cohabitatione (4).

---

(1) S. C. S. Officii, 14 ianuarii 1912; Pont. Commissio Codicis I. C., 11 novembris 1925.
(2) S. C. de Sacramentis, 1 augusti 1931.
(3) Pont. Commissio Codicis I. C., 2-3 iunii 1918.
(4) Ibid., 12 martii 1929.

294.

§ 1. Parochi licentiam assistendi matrimonio ne concedant nisi documento scripto.

§ 2. Parochus vel loci Ordinarius sacerdoti determinato, quem ad normam canonis 1096 § 1 delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, potest licentiam quoque dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio (1).

295.

§ 1. Vicarius adiutor, si in omnibus suppleat parochi vicem ad normam canonis 475 § 2, determinato sacerdoti licentiam dare potest assistendi determinato matrimonio (2).

§ 2. Vicarius cooperator, si parochum adiuvat in universo paroeciali ministerio ad normam canonis 476 § 6, potest determinato sacerdoti licentiam dare assistendi determinato matrimonio (3); quin imo, si ad normam canonis 1096 § 1 a parocho vel ab Ordinario loci generalem obtinuerit delegationem assistendi matrimoniis, potest alium sacerdotem determinatum subdelegare ad assistendum matrimonio determinato (4).

§ 3. Vicarius oeconomus, legitime constitutus in paroecia ad normam canonum 472 et 473, sacerdoti determinato licentiam dare potest assistendi matrimonio determinato (5).

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 28 decembris 1927 ad II.
(2) Ibid., 20 maii 1923 ad V.
(3) Ibid.
(4) Ibid., 28 decembris 1927.
(5) Ibid., 2 0maii 1923 ad I.

§ 4. Vicarius substitutus, de quo in canonibus 465 § 4 et 474, a loci Ordinario absque ulla limitatione approbatus, potest valide et licite matrimoniis assistere, et determinato sacerdoti licentiam dare assistendi determinato matrimonio; idque etiam ante approbationem superioris religiosi, si sit vicarius substitutus parochi religiosi (1).

§ 5. Vicarius supplens, de quo in canone 465 § 5, ante Ordinarii loci approbationem potest et matrimoniis assistere et determinato sacerdoti licentiam dare assistendi determinato matrimonio, usque dum aliter idem Ordinarius non statuerit (2).

296.

Parochi matrimonio ne assistant, nisi ad normam canonis 1097 per legitimum documentum constet:

a) de Baptismate ab utroque coniuge suscepto;

b) de statu libero, si alteruter saltem sponsorum sit alterius loci, vel per sex menses post pubertatem extra locum sit commoratus;

c) de publicationibus matrimonii rite expletis;

d) de morte coniugis, si de sponsis viduis agatur.

297.

§ 1. Iuxta canonem 1098 ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum non sufficit factum absentiae parochi, sed requiritur praeter-

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 14 iulii 1922 ad I-III, et 28 maii 1923 ad II et III.

(2) Ibid., 14 iulii 1922 ad IV, et 20 maii 1923 ad IV.

ea moralis certitudo ex notorio vel ex inquisitione, parochum sine gravi incommodo per mensem neque haberi neque adiri posse (1).

§ 2. Ad normam eiusdem canonis 1098 censetur physice absens parochus vel loci Ordinarius si, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat (2).

298.

Ab acatholicis nati, de quibus in canone 1099 § 2, quoad matrimonium habentur etiam nati ab alterutro parente acatholico vel apostata, cautionibus quoque praestitis secundum canones 1061 et 1071 (3).

299.

§ 1. Canone 1102 § 1 revocata est facultas alicubi a S. Sede concessa, passive assistendi matrimoniis mixtis illicitis (4).

§ 2. Ad normam eiusdem canonis 1102 § 2 Missa licet privata, quae ex rerum adiunctis haberi possit ut complementum caeremoniae matrimonialis, prohibetur in matrimoniis mixtis (5).

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 10 novembris 1925.
(2) Ibid., 10 martii 1928 et 25 iulii 1931.
(3) Ibid., 20 iulii 1929, 19 februarii 1930 et 25 iulii 1931.
(4) Ibid., 10 martii 1928.
(5) Ibid., 10 novembris 1925.

300.

§ 1. Parochi instent ut matrimonium coram Ecclesia celebretur ante actum civilem, quamprimum et ipsum explendum.

§ 2. Si vero sponsi actum civilem antea expleverint, iidem parochi curent ut quamcitius coram Ecclesia matrimonium celebrent, et interim separati vivant.

301.

§ 1. Parochus eorum, qui civili tantum actu iuncti sunt, de hac re certiorem reddere curet parochum novi ipsorum domicilii.

§ 2. Meminerint catholici se nullo modo operam praestare posse ut coniuncti coram Ecclesia actum civilem cum aliis ineant.

302.

§ 1. Actum matrimonii celebrati parochus in matrimoniorum libro quamprimum manu propria describat cum testium nominibus ceterisque canone 1103 § 1 praescriptis, vel, si legitime impeditus, saltem actum ipsum subscribat a sacerdote delegato scriptum.

§ 2. Si alius sacerdos de licentia parochi vel loci Ordinarii ad normam canonis 1096 matrimonio adstiterit (1), id quoque cum eiusdem sacerdotis nomine in memorato libro adnotetur.

---

(1) Pont. Commissio Codicis I. C., 14 iulii 1920, 20 maii 1923, 28 decembris 1928.

303.

Omnia documenta initi matrimonii in archivo parochi, qui matrimonio assistit sunt asservanda; hic vero de matrimonio celebrato certiorem reddat parochum alterutrius vel, si casus ferat, utriusque sponsi, firmis quoad cetera praescriptis canonum 470 § 2 et 1103.

304.

§ 1. Firmo praescripto canonis 1109, satagant parochi ut matrimonia non vespere sed mane celebrentur et, quantum fieri potest, una cum Missa, ut sponsi benedictionem nuptialem accipiant ad normam canonis 1101, et SS. Eucharistia reficiantur.

§ 2. Tempore feriato, de quo in canone 1108 § 2, sollemnis nuptiarum benedictio ne impartiatur; quod si iuxta § 3 eiusdem canonis Ordinarius loci eam permittat, tunc quamvis celebrari possit Missa votiva, sponsis consulatur ut a nimia pompa abstineant (1).

305.

Si certo et publice constet sponsam ante nuptias cum sponso illicite cohabitavisse, matrimonium nec die festo neque alio extraordinario altaris ornatu celebretur; benedictione praeterea thalami nuptialis, ubi mos est, omissa.

---

(1) S. C. Rituum, 14 iunii 1918; Indultum pro Brasilia ad decennium die 30 aprilis 1939 concessum.

306.

Ad normam canonis 1127 privilegii Paulini usus permitti nequit coniugi ad fidem converso in casu dubii insolubilis circa utriusque coniugis acatholici Baptismum (1).

307.

Parochus dissidia familiarum, quantum fieri potest, componere studeat, coniuges caritate et prudentia deterrens ne ad separationem deveniant; qua forte peracta, satagere ne omittat ut coniugalis consuetudo rursus instauretur.

308.

§ 1. Separatio coniugum ob causas, de quibus in canone 1131 § 1, decernenda est forma administrativa etiam in secundo iudicii gradu, nisi a loci Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium (2).

§ 2. Firmis praescriptis canonum 1129 et 1132, nonnisi post iudicis ecclesiastici sententiam aut licentiam licet catholicis iudicem civilem adire ad civiles effectus impetrandos quoad separationem thori, mensae et habitationis.

309.

Serventur adamussim normae a S. Sede statutae:

a) in tractatione causarum matrimonialium et in earumdem relatione quotannis ad S. Sedem mittenda (3);

(1) S. C. S. Officii, 10 iunii 1937.
(2) Pont. Commissio Codicis I. C., 25 iunii 1932.
(3) S. C. de Sacramentis, 1 iulii 1933.

b) in processibus dispensationis super matrimonio rato et non consummato etiam ad praecavendam dolosam personarum substitutionem (1);

c) in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum a tribunalibus dioecesanis (2);

d) de competentia iudicis in causis matrimonialibus ratione quasi-domicilii (3).

310.

§ 1. Ad normam canonis 1971 § 1 n. 1 accusatio matrimonii prohibetur coniugibus, qui fuerint causa impedimenti etiam improprie dicti, matrimonium dirimentis (4).

§ 2. Hoc in casu memorati coniuges ius habent huius matrimonii nullitatem denuntiandi loci Ordinario vel promotori iustitiae ad normam canonis 1971 § 2 (5).

§ 3. Iuxta eundem canonem 1971 § 1 n. 1 potest accusare matrimonium coniux, qui metum aut coactionem passus sit, vel causam apposuerit honestam et licitam impedimenti; non autem si fuerit causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii (6).

311.

§ 1. Non obstante contraria consuetudine, laici, etiamsi in utroque iure periti, excluduntur a mu-

(1) S. C. de Sacramentis, 7 maii 1923 et 17 martii 1929.
(2) Ibid., 15 augusti 1936.
(3) Ibid., 23 decembris 1929.
(4) Pont. Commissio Codicis I. C., 12 martii 1929.
(5) Ibid., 17 februarii 1930.
(6) Ibid., 17 iulii 1933.

nere iudicum, auditorum vel assessorum in causis matrimonialibus et contentiosis tribunalium ecclesiasticorum (1).

§ 2. Ad normam canonis 1658 § 2 advocati indigent approbatione loci Ordinarii ad causas ecclesiasticas in Curiis dioecesanis defendendas, non autem advocati Curiae Romanae (2).

APPENDIX

DE SACRAMENTALIBUS

(Can. 1144 — 1153 C. I. C.)

312.

§ 1. Ad praescriptum canonis 1144 parochi et concionatores instruant fideles de significatione, vi et usu Sacramentalium, eos hortantes ut eadem et praesertim aquam benedictam honore prosequantur, atque sollemnibus benedictionibus candelarum, cinerum et palmarum aliisque devote intersint.

§ 2. Iidem admoneant christifideles paschalem vel aliam domorum benedictionem, ad normam canonis 462 n. 6, a parocho vel ab eius delegato esse impertiendam, denegandam tamen iis qui concubinario more, etsi actu civili iuncti, vivunt, vel alia notoria causa sint indigni.

---

(1) S. C. Concilii, 14 decembris 1918.
(2) S. C. de Sacramentis, 15 augusti 1936; Signatura Apostolica, 15 decembris 1923.